

Francisco Reboster que era bien aguardar á sacar primero las uniones de Galapagar y Valdemorillo; en enviándose éstas se tratará destotro (1).

Copia de carta del Príncipe de Orange á Pio IV, de Bruselas 17 Diciembre.

BEATISSIME PATER, POST SANCTORUM PEDUM
OSCUA.

LITTERAS S. V. sub data Romæ vigesima sexta Octobris ad me sub finem Novembris transmisit Illustrissima Duchissa Parmæ et Placenze, gubernans inferiorem Germaniam, quibus S. V. mecum expostulat neglecti mei officii causa et quod non satis diligentè caverim, ne quid mali ex principatu meo Auraico reciperet vicina regio ditionis ecclesiasticæ, et quod dominum de Sancto Ubano principatui Auraico præfecerint. Quæ ubi legissem, admiratus sum plurimùm, verùm statim deprehendi quod S. V. ea jussisset scribi, non plenè instructa de his quæ in comitatu Venaissino et principa-

(1) Las iniciales P. M. con que empieza este párrafo, significan sin duda que le escribió Requesens de su mano en la carta; y, como la anterior, debió salir de Roma algunos dias despues de la fecha que tiene la minuta.

in Auraico acciderunt. Quæ si plenè ad S. V. delata fuissent, certò scio agnosceret et fateretur nihil a me prætermissum esse, quod ad conservationem fidei catholicæ et tranquillitatis Reipublicæ facere (*sic*) posset, et errores hugonotorum aliundè in principatum meum allatos esse. Primum enim seminarium hujus mali Auraicæ fuit magister Aegidius Ode, presbiter secularis, qui ex Avinione illuc venerat anno M. quingentesimo sexagesimo, per vicarium Reverendi domini Auraici admissus fuit, ut in ecclesia Cathedrali per quadragesimam ibidem concionaretur, qui et initio, et donec populi favorem obtinisset, catholicè concionatus fuit, et singulis ferè diebus sacrificium missæ ipse obtulit; verùm paulò post ubi sibi populum addictum vidit, hugonotorum hæresim docuit: cui malo ut occurrerem, primò ex Burgundia, quosdam meos officiatos Auraicam transmissi, ac paulò post, nimirùm sexta Julii anno 1561.^{mo} publico edicto vetui omnes conciones, quæ fierent extra ecclesias et templa ad hoc dedicata, et ne quis ecclesiæ sacramenta ab alio quàm a sacerdote et secundùm ritum ecclesiæ catholicæ et romanæ, reciperet, cum plurimis aliis articulis eodem spectantibus.

Nec illo contentus seorsum per litteras singulis officiatis severè mandavi, ut diligentissimam adhiberent operam et juverent ut quidquid esset erroris hugonotorum in principatu Auroico, quàm brevissimè fieri posset extirparetur, quod tum omnes promittebant sese facturos. Requisivi etiam ad id per litteras, omnes et singulos mei principatus ordines, et nemo ex iis illi edicto sese opposuit, solus minister appellationem interjecit ad Concilium Gratianopolitanum.

Verum, crescente de die in diem malo in vicinis Galliæ locis, et ut intelligo etiam in comitatu Venaissino, quin et in ipso Avinione, ac duce hugonotorum se prebente domino de Montbrun, plures etiam ex meo principatu hugonotorum errore infecti fuerunt, et dictum de Montbrun secuti fuerunt, quam (*sic*) ut sine periculo majoris motus ordinaria via plecti et puniri possent.

Quæ res me impulit ut vigesima die mensis Martii anni M. D. sexagesimi primi, stilo gallicano, ad imitationem Christianissimi Galliarum Regis, generalem remissionem, sive condonationem publicationum, salvò quod in posterum, ut decet bonos christianos, catholicè viverent, observarent mandata Dei et catholicæ eccle-

sia, et abstinerent ab omni seditione et rebellione, sperans futurum ut hac benignitate provocati, abjectis erroribus hugonotorum, catholicam fidem et religionem amplecterentur. At deindè certior factus, quod aliquot ex consulibus mei parlamenti hugonotorum errores excusarent, secuti dictum magistrum Aegidium Ode, et quod his conniventibus, vel authoribus etiam plebecula liberius in hugonotorum errores dilaberetur, missi mense Martio anno M. D. sexagesimo secundo in Auraicam stabuli nostri præfectum Alexandrum de la Tour, cujus fidem catholicam et observantiam erga ecclesiam romanam habui perspectissimam, cum amplissimo mandato reducendi omnia innovata ad pristinos ecclesiæ catholicæ et romanæ ritus et ceremonias, ac destituendi consules et officiatos, quos inveniret ad errores hugonotorum dilapsos, et in eorum locum surrogandi eos de quibus certa spes esset quod nostra edicta observarent et ab aliis observari curarent. Tradidi etiam eidem de la Tour diversas litteras ad diversos Cardinales, episcopos et principes Gallia, quibus eisdem rogabam, ut si in explendo meo mandato, auxilio ipsorum egeret, dignarentur eidem assistere et adesse.

His omnibus extremè laborans ut ii

qui præcipui erant motuum, rebellionis et mutandæ religionis authores, in meo principatu luerent pœnas dignas et ut innocentibus liceret pace et tranquillitate frui. Nihilominus in mense Junio subsequente intellexi, cum maximo animi mei dolore, civitatem Auraicam, duce Fabritio Serbellone, S. V. præfecto, vi expugnatam, direptam ac exustam, nulla omninò religionis, sexus vel ætatis habita ratione promiscuè tam catholicos, quam hugonotos occisos et trucidatos fuisse, virgines et matronas turpissimè stupratas et violatas, quinimò multos, contempta fide eis data, tanquam pecudes præcisa gula jugulatos esse, et breviter, quod Auraica proposita esset in exemplum omnibus vicinis suis. Quæ sanè eo graviora mihi fuerunt, cum quod semper tam sollicitè laboraverim, ut authores motuum et mali corrigerentur, tum etiã quod in solos meos subditos tanta crudelitate sævitum est, et omnes eorũ vicini, qui in eodem luto herebant, summam lenitatem senserunt. Ex supradictis, ut confido, S. V. satis intelliget, me sedulò insecutum fuisse admonitionem prius a S. V. factam, et nihil prætermisise, quod boni et catholici fuit principis in hoc turbulento seculo, et a nemine meritò in hac re notari vel reprehendi posse.

Quod autem ad dominum de Sancto Ubano attinet, hic quemadmodum pleraque comitatus Venaissini loca cœpit, ignorante S. V. sic et me nescio, Auraicam occupavit; in qua cum consultius ducerem, eum ad tempus dimittere, quam cum periculo novorum tumultuum armis depellere, scripsi ad eum solum litteras, nulla commissione ei data, quibus petii daret operam ut subditi mei Auraici inter sese quietè et pacificè viverent, juxta edictum quod tum simul trans mittebam quoque ab eodem petens, ne ex Auraica ulla invasiones vel incursiones faceret in subditos S. V. vel cujuscumque alterius, verùm unicuique, quod suum esset, redderet et liberum dimitteret.

Per illud autem edictum, quàm maxime potui, consului rebus et bono catholicorum et durio rem me contra hugonotos exhibui, quam Christianissimus Galliarum Rex in suis quibusdam edictis, nam omnes ecclesias jubeo catholicis restitui, excepta sola ecclesia prædicatorum, quæ solum ad tempus aliquod hugonotis conceditur; ecclesiasticis omnia eorum bona restitui jubeo, quin et fiscales meos illis adjungo, ut minus incommodi sentiant in recuperando; absentes omnes revoco, et expelli volo omnes qui ex aliis locis intra decem

et octo menses in Auraicam commigrassent. Permitto, cedens temporum malitiæ, utriusque religionis exercitium, sed per formam provisionis tantum et donec aliter per me sit constitutum. Ad has litteras et edictum, domiaus de Sancto Ubano sexta Octobris respondit, sese renuntiasse omni officio et muneri quod in comitatu Venaissino obtinebat, et curaturum sedulone domino Fabritio vel cuiquam alio det juxtam conquerendi causam aut occasionem detrectandi pacem et commercium cum Auraicis. Et arbitror, quod post dicti edicti publicationem, quæ facta fuit in principio mensis Octobris, dominus de Sancto Ubano nullam incursionem in vicina S. V. loca fecerit: quæ autem antea fecit, ut excusare non volo, ita illis gravari non possum ut quæ me non contingunt.

Statui autem propè diem istinc aliquos in Auraicam mittere, quibus negotium dabo dispiciendi gubernatorem præsidem, consules et alios officiatos catholicos et idoneos, quos gubernationi et juridicendo præficiam, quod jamdudum factum esset, nisi bellorum et hyemis injuria, viros ætate provectiores, a suscipienda tali legationi deterruisset, juniores autem ei rei non convenirent. Et Alexandrum de la Tour coactus fuissem revocare, quod ipse

suis ad me litteris testaretur, quod tanto sui odio tenerentur Auraicensis, ut quidquid ageret, ipsis suspectum et ingratum esset.

Interim, supplex oro S. V. dignetur mandare dominis Vicelegato et Fabritio, ut cessent incursiones hostiles et omnia arma, ac Auraicensibus permittant liberum, cum Avinionensibus et incolis comitatus Venaissini, commercium, quemadmodum S. V. id permittit Lugdunensibus et illis de Languedocg et Daulphiné, idque tantispèr dum per temporis malitiam fieri per me non potest, quod maximè volo. Atque hæc, ut in bonam partem accipiat S. V., iterùm atque iterùm supplex oro, et ut me S. V. et Sanctæ Sedi Apostolicæ obedientissimum et per omnia addictissimum, solita benevolentia et benignitate, amplecti dignetur. Datæ Bruxellis 17 Decembris anno a nato Christo 1563 (1).

(1) Esta carta se publicó ya en la *Colección de Documentos inéditos para la Historia de España* (tomo IV, pág. 294); pero por estar el que sirvió de original «lleno de disparates y errores gramaticales», como allí mismo se dice, la imprimimos de nuevo; es la respuesta del Príncipe de Orange al breve de su Santidad de que habla la Duquesa de Parma en su carta de 12 de Diciembre (pág. 109), y nosotros en la nota de la pág. 113.